



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LXXVI. Bernhard, Prior des Karthauses, vergleicht sich mit Andreas Raphuhn aus Uchdorf wegen der ihm bei der Belagerung von Greifenhagen von einem Karthäuser geraubten 4 Pferde, am 27. Juni 1471.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

haben wir hirczu gebethen vnser Sigil beyde gebrochende gehanghet an disen briff bey vnfers vettern Sigil. Datum nach christi gebort M. CCCC. vnnnd LXXI yar, an der hilgen drey koninghe tage.

Nach dem Copialbuche des Karthäuser-Klosters, No. 41.

LXXXVI. Bernhard, Prior des Karthäuses, vergleicht sich mit Andreas Raphuhn aus Uchdorf wegen der ihm bei der Belagerung von Greifenhagen von einem Karthäuser geraubten 4 Pferde, am 27. Juni 1471.

In nomine domini Amen. Anno a Natiuitate ejusdem Millefimo quadringentesimo septuagesimo primo, Indictione quarta, die vero Jouis, vicesima septima Mensis Junii, hora Nonarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in christo patris et domini, nostri domini Pauli diuina prouidentia pape secundi anno septimo, In mei Notarii publici testiumque Infrascriptorum specialiter ad hoc vocatorum et rogatorum presentia personaliter Constituti venerabilis et Religiosus dominus Bernhardus, ordinis Carthusiensis domus misericordie dei prope frankenford, lubucensis diocesis, Prior, sui et totius sui Conuentus et monasterii nominibus ex vna et honestus vir Andreas raphun, rusticus villanus et Incola ville vchdorff, Caminensis diocesis, pro se ipso ex altera, partibus, dictus Andreas raphun, quondam violentiam et dampnificationem per quondam felicis memorie fratrem Cristianum, dicti ordinis et domus professum et conuersum ac tunc in temporalibus administratorem, in spolio quatuor equorum ruralium, quos scilicet ad valorem viginti florenorum et ultra estimauit, sibi in recessu et diuisione exercitus quondam Illustris Principis domini friderici, Marchionis Brandenburg., diue memorie ab obsidione opidi Grifenhagen, Caminensis dyocesis, tempore quo dictus dominus Marchio dum In humanis fuerat illud nuperrime vallauerat, sub treugis pacis et protectionis dicti domini Marchionis vt asseruit factis, viue vocis oraculo per organum cuiusdam Johannis lange, prelocutoris dicti opidi frankenfordis, proponi et perorare fecit, Supplicando dicto domino Priori, Quatinus cum idem frater Cristianus membrum dictis ordinis et domus extiterat et ex pane et In panem dictis monasterii domus et ordinis equitando sibi prefatas violentiam et spoliationem irrogauerat, dictus dominus prior prefatis spoliū et dampnum eidem refundere et dictos quatuor equos, sic vt prefertur ablatos, perfoluere dignaretur. Ex quo prefatus venerabilis dominus prior, habita modica deliberatione, Respondit, Quod neque sibi neque alicui fratri dicte domus, prout de hoc Inquisitionem tunc fecit diligentem, de hujusmodi spolio et equis aliquid constaret, sed nec dictos equos vnquam vidisset, neque in vsum seu profectum monasterii quoquomodo dicti equi venissent vnde speraret, se de Jure ex parte Monasterii non esse obligatum respondere pro delicto persone Jam dudum defuncte, si sic esset, prout non speraret cum in illud malum nec ipse nec Monasterium consenserunt, nec vnquam ex illo commodum acceperunt, illo tandem non obstante: ne autem dominus prior alicui equitatem et Juris ordinem denegare et eadem subterfugere videretur, vellet cum dicto Andrea certo die concordare, Et cum eo coram Illustri principe domino Marchione Brandenburgensi in Berlin comparere. Si

tunc prementionatus Andreas raphun posset juxta juris dispositionem probare, dictum spoliū per prefatum fratrem Cristianum et in treugis pacis tempore, quo jam heras dicte ville vchdorff se cum prefata villa et incolis predicto domino Marchioni Brandenb. subdiderat et eius se dominio et protectioni tunc subiecerat, sibi fuisse et esse factum et quod equi tantum valuissent, quantum ipse estimaret, extunc sepedictus dominus prior promisit iuxta dictamen prefati Illustris principis domini Marchionis et suorum Consiliariorum dicto andree facere, quod iustum foret et ordo dictaret rationis. Ad quod pretactus Andreas respondit, quod non posset pro hiis equis plures fatigas et expensas facere, cum pauper esset et coram principibus placitare et in iure experiri et certare non valeret, oppoteret ipsum causam illam deo dare et videre alias, quomodo dampnum suum recuperaret. Similes minas nobilis Liborius Steenbeke, heres dicte ville vchdorff, in quadam sua littera dicto domino priori transmissa ibidem lecta Immiscuit et adiecit, vnde habitis multis diuersitatibus, replicationibus et altricationibus hinc Inde prefate partes ex Inductione amicorum et fautorum tunc presentium et eorum suafu tractatus amicabiles pacis et concordie attemptauerunt et venerunt Et in hanc conclusionem vnionis peruenerunt, videlicet quod dominus Bernhardus, prior, prefatus deberet dicto Andree raphun tres sexagenas grossorum Brandenbursium monete et pagamenti post tres septimanas citra vel supra, dum dictus Andreas easdem postulauerit, absque dilatione et recusatione sine dolo et fraude in Monasterio prefato soluere et presentare et per hoc tota cause funditus deberet esse complanata, quam summam trium sexagenarum dictus dominus prior de pleno vt asseruit consensu sui conuentus pro se et Monasterio suo dicto Andree Raphun non ex vi cause seu obligatione alicuius debiti nec in recompensam prefati — spoliū, ne se culpabilem redderet, sed mere et pure propter deum, in subuentionem et subsidium sue paupertatis et ad euitandum vltiores fatigas, labores inutiles et expensas, quas ab eodem Andree dum contra eum in Jure triumpharet paupertate sua hoc efficiente recuperare non posset et ad redimendam Injustam vexationem et propter multos alios respectus termino et loco supradictis ore et manu stipulata sponte et libere fide data soluere et presentare promisit et se obligauit. Quo facto dictus Andreas Raphun, non coactus non compulsus nec aliqua fraude seu dolo circumuentus, sed libere sponte et voluntate ymmo matura deliberatione et consilio prehabitis, alta et Intelligibili voce pro se, heredibus, amicis, confanguineis, fautoribus, coniunctis personis et successoribus suis, natis et in futurum nascendis, Omnibus et singulis actionibus, Impetitionibus, Juribus, litibus, causis, querelis et conuentionibus, quas habuit vel habere pretendebat contra et aduersus dictum dominum priorem, suum Conuentum, fratres monasteri, subditos aut bona eorum ex parte spoliū prefatorum quatuor equorum, sic ut prefertur eidem per dictum fratrem Cristianum vt asseruit violenter oblatozum, necnon omnibus et singulis emergentibus dependenciis et connexis dampnis, expensis et interesse quouis modo fecutis, factis et illatis ac occasione premissorum qualiterrumque habitis et passis exemptionibus, euasionibus, defensionibus Juris tam Canonici quam Civilis remediis mediantibus, quibus posset se in premissis et subscriptis aut aliquo eorum iuuare, opponere aut aliquo defendere etc. — et in signum ratihabitionis et perpetue firmitatis litteram et sigillum Dicti validi Liborii Steenbeken, heredis ville vchdorff prefate, Juxta formam et tenorem in quodam cedula sibi tradita prefato domino priori et suo Conuentui procurare et subordinare et decursis tribus ebdomadis, dum prenominatas tres sexagenas a prementionato domino priore promissas postulauerit et subleuauerit, dictam litteram eidem presentare, Promittens nichilominus sepedictus Andreas raphun pro se, heredibus, amicis, confanguineis, fautoribus, successoribus, natis et nascendis ac omnibus et singulis, quorum interest, intererit seu interesse poterit quomodoli-

bet in futurum, michi Notario publico Infrascripto sollempniter stipulante et recipiente vice et nomine omnium et singulorum premisorum hujus modi concordiam vnionem et placita hinc Inde de cetero nunc et in antea ratas, gratas et firmas perpetuo velle habere, tenere et obseruare etc. — Acta sunt hec In dicta domo misericordie dei seu monasterio Carthusiensi prope frankenford, dicte lubucensis diocesis ante Introitum refectorii prope Ingresum cellarii maioris, Anno, Indictione, Mense, die, hora et pontificatu quibus supra, Presentibus ibidem honorabilibus Religiosis et honestis et discretis viris dominis paulo leman, altaris in villa lossow presbitero, fratribus petro Thoma et Jacobo dicti ordinis Carthusiensi conuersis, Nicolao porken, Johanne langen, Ciuibus dicti opidi frankenfordis, laicis, Mathia Ertmanni, vicario perpetuo ecclesie wari-nensis clerico warinensis et nicolao megow, Ciue opidi konigfsberg, laico, Caminenis dio-celis, amicabilebus Compositoribus parcium hinc Inde et testibus ad premisa vocatis specialiter et rogatis.

Nach dem Originale im Universitäts-Archive zu Breslau.

LXXXVII. Simon Ziethen, Altarist, verkauft vor Lutke-Heinrich, bischöflichen Official zu Frankfurt, dem Karthause gewisse Renten, am 18. Januar 1472.

In nomine domini amen. Vniuersis et singulis presentes litteras sue presens publicum instrumentum visuris, lecturis et auditoris, Presertim quibus nosse fuerit oportuna, pateat euidenter, Quod sub anno domini M. CCCCLXXII., — die vero saturni, decima octaua Mensis Ianuarii, hora vesperorum uel quasi. Coram nobis Paulo lutkehinrich, arcium magistro, Canonico ecclesie lubucensis et officiali in frankenford, In curia episcopali lubucensi ibidem nostre solite residentie pro tribunali sedente, In notariorum publicorum ac testium infrascriptorum specialiter ad hoc vocatorum et rogatorum presentia, personaliter constitutus honorabilis vir dominus Symon Szythen, altaris ecclesie beate marie virginis parochialis dicti opidi frankenfordensis, lubucensis dyocesis, Pro se suisque heredibus et successoribus in domino infrascripte domus sue possessoribus et proprietariis —, sub iusto et legitimo reemptionis titulo vendidit prout vendit de presenti Venerabilibus ac religiosis viris dominis Patri Reuerendo priori, confratribus suis Totique conuentui ordinis Carthusiensi domus misericordie dei, prope dictum opidum frankenford sito, Ipsorumque successoribus duas sexagenas grossorum Censuum annui in denariis Brandenburgensibus Monete currentis et pagamenti consueta, Cum qua quilibet fidelis alteri warentare communiter debet et possit, ad mutuum, perceptionem et vsum providi Casparis Ieschebrant ibidem etiam presentis consensientis et huiusmodi censum acceptantis in vita duntaxat constituti Pro viginti sexagenis grossorum eiusdem monete Brandenburgensibus, sibi ut asseruit integre et plenarie per dictos dominos patrem priorem, confratres eius ac totum conuentum dicti census annui emptores iam pagatis, numeratis et solutis, de quibus eosdem dominos emptores Successoresque suos quitauit, quitos et liberos pronunciauit et ab omni solutione vltiori absoluit, In et super domo sua et eius fundo ex opposito dicte ecclesie parochialis in frankenford inter curiam opidi eiusdem et do-